



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 203. Et cæperunt salutare eum. Aue Rex Iudæorum. v. 18.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

minum gloriæ erucifixissent. Nos vero & nouimus regem hunc Omnipotentem & illius voluntatem & iussa perspecta habemus, & tamen obedire ei recusamus, nihil pudet nos tam potenti resistere Domino, eiusque iussa contemnere, cum tamen nihil ille nisi nostram petat salutem, utque ipsius simus cohæredes in regno patris eius. Igitur & anima mea è spinis intexte tibi coronam, hic in terris, ut cum Rege tuo & sponso Iesu Christo merearis immortalibus & æternis coronari in cælis.

§. 203. *Et ceperunt salutare eum. Aue Rex Iudeorum. v. 18.*

Actionem scenicam cohors militum Romanorum exhibuit spectatoribus Iudæis valde gratam, in qua valde delectati sunt Actores excepto vno Dño N. Christo: spectatores vero multo maxime. Tota fuit exhibitio simulacri quo Reges & Imp. creabantur, & mox honorabantur. Iam præcessit creatio, nempe, cum tota cohors concurrat ad Christum & eum tulit ad atrium Prætorij patentissimum locum, 2. cum eum ibi exuerunt, & flagellarunt, 3. cum quasi pœnitentes facti subito eum sanguine suo rubricatum purpura amictunt, 4. coronam spineam plectunt, eamque imponunt Domino; iste fuit Actus primus cum suis scenis. Iam secundus sequitur & 1. scena fuit salutare eum ludicrè, per ordinem transeundo ante eum, & dicendo Aue Rex Iudeorum, & alia scæda agendo quæ tacentur.

**O** Deus, quis ista sciens te pro se pati, non compungatur ad amorem tui!

§. 204. *Et percutiebant caput eius arundine. v. 19.*

Quia Christus Dominus præterita omnia mala mirum in modum patienter ferebat ita ut ne semel quidem faciem suam ab eorum lannibus insanis auerteret, tanto agitabantur furore ut exilientes è terra rapta è manu eius arundine, horribiles in caput eius ictus darent, quibus spinarum aculei altius sancto illius cerebro infigebantur adeo ut hæc pœna etiam cor illius attingeret fluente pretioso sanguine, vbertim per amabilem faciem atque collum, nihilominus sedebat illic agnus innocens pleno affectu, omnemque hanc prorsus inhumanam afflictionem & pœnam pro nostris scædissimis peccatis, ad æterni patris gloriam patientissime tolerabat. grauitatem eius ludibrii si scire cupimus, naturam contemplemur. Arundo vacua, leuis, mobilis, fragilis est. Per vacuitatem significare voluerunt, quod sicut arundo medulla & nucleo caret, ita Christus sensu & intellectu, qui ita nei sapientia patris est (ô blasphemia!) per leuitatem, animi eius inconstantiam & opinionum volubilitatem præsignabant (ô iniuria!) per mobilitatem, quod sicut arundo quocunque stante vento in hanc & illam partem flectit.

§. 113